

**Dissertatio medica inauguralis de historia chirurgiae / [John Smith].**

**Contributors**

Smith, John.

**Publication/Creation**

[Edinburgh] : [J. Pillans], [1826]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fg48tzeu>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE HISTORIA CHIRURGICAE

ANNUNTIATA DOMINO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGH BAIRD, S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENSAE CANCELLARI,

RECITATA

AD HONOREM SENATUS ACADEMICI CONSENSU,  
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

REDDENDUM EXAMINI SUBIECIT

JOANNES SMITH,

Anglus.


Edinburgi, die 15. Julii 1826.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDERANT J. MILLAR ET FILII.

M.DCCC.XXVI.



DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
HISTORIA CHIRURGIAE,

QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,  
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;  
NECNON  
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,  
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;  
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES SMITH,

Anglus.

---

History is philosophy, teaching by examples.

---

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

---

EDINBURGI:

EXCUDEBANT J. PILLANS ET FILIUS.

---

M.DCCC.XXVI.



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HISTORIA CHIRURGICA

DE

ANNE 1770

ET INSTITUTIONE ACADEMICA

D. GEORGI BAIRD, M.D.

PROFESSORIS CHIRURGICAE

ARTIS

ACADEMIAE MEDICAE EDINBURGENSIS

INSTITUTIONE ACADEMICA

EDINBURGI

ANNO 1770

EDINBURGI

ACADEMIAE MEDICAE

EDINBURGENSIS

EDINBURGI

EDINBURGI

EDINBURGI

EDINBURGI

EDINBURGI

EDINBURGI



VIRO CARISSIMO DILECTOQUE  
JOANNI BARCLAY, M. D. S. R. S. E.

COLLEGII REG. MED. EDIN. SOC.

ANAT. ET CHIRURG. PRAELECT.

QUI

ANIMO VERE GENEROSISSIMO PRAEDITUS,

OMNEM DOCTRINAM, ARTEMQUE INGENUAM

MIRO AMORE ET FELICE CULTURA

PROSECUTUS EST :

HANC DISSERTATIONEM,

UT FILIUS PATRI

DICARE VOLUIT

JOANNES SMITH.

THE CHINESE DICTIONARY

JOHANNI BARGLAY, M.D. & R. E.

COLLECTOR AND EDITOR

OF THE CHINESE DICTIONARY

AND THE CHINESE DICTIONARY

OF THE CHINESE DICTIONARY

OF THE CHINESE DICTIONARY

OF THE CHINESE DICTIONARY

HANG DICTIONARY

OF THE CHINESE DICTIONARY

OF THE CHINESE DICTIONARY

JOHANNES SMITH



ROBERTO GRAHAM, M. D. S. R. S. E.

PROF. BOTAN. ACAD. EDINB.

QUEM,

CUM OB INGENII BONITATEM ET CULTUM,

TUM

OB BENEVOLENTIAM, BENEFICIENTIAM, MORUMQUE

HUMANITATEM,

OMNES STUDIOSI COLUNT ET DILIGUNT,

HOC TENTAMEN

SUMMAE OBSERVANTIAE ET HONORIS PIGNUS

INSCRIBIT

JOANNES SMITH.



ROBERTO GRAHAM, M. D., F. R. S. E.

THE BOTANICAL GARDEN, BRISTOL

ON THE HISTORY OF THE

THE

OF THE HISTORY OF THE

HUMANITY

OF THE HISTORY OF THE

HOC TESTAMENTUM

SUMMA ORATIONIS ET HOMINIS

SCRIPTUM

JOANNES SMITH

DISSERTATIO MEDICA

HANC DISSERTATIONEM

AMICO SUO

JOANNI CAMPBELL, M. D. S. R. S. E.

COLLEGII REGALIS CHIRURGORUM

EDINENSIS SOCIO ;

OB MULTA BENEFICIA SIBI ET CONSILIA,

LONGUM PER TEMPUS

APUD EUM HOSPITANTI ;

OBSERVANTIA CUM SUMMA,

DEDICAT

AUCTOR.

DISSEMINATION

OF THE

1850

JOHANNI CAMPBELL, M.D. & R.S.E.

HISTORIA CHIRURGICA

COLLEGIUM HEBRALI CHIRURGICUM

EDINBURGH SOCIETY

ON MULTA BENEFICIA SUI ET COMMUNITATIS

LONDON PER TERTIUM

ANNO DOMINI MDCCLXXXIII

OPERTANTIA CUM REVERENDISSIMO

MEDICAL

AUCTOR

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
HISTORIA CHIRURGIAE.

---

CUM primum ad leges nostrae almae academiae de summos honores medicinae ambientibus animum intendi, diu dubitabam in rebus tam variis tamque copiosis, quas medicina amplectitur, quamnam, caeteris antepositam, potissimum seligerem. Multas post cogitationes, quaedam generalia de Historia Chirurgiae scribere proposui. Nequaquam, ut mihi consilio esset, Historiam Chirurgiae exactam offerre ; sed causas, quae in hanc scientiam vim habuerint, anquirere, eorumque effectus, an faustos vel infaustos, explicare ; viros praecipuos, resque ab iis inventas aut pate-



factas memorare ; ita ut, hoc tentamen potius Philosophia Historiae Chirurgiae, quam historia ad tempora nominaque specialis scientiae, vocari possit.

Scientiae medendi ejus partis, quae hodie Chirurgia vocatur, progressus, sicut omnium aliarum artium et scientiarum progressui humanae mentis similitudinem insignem fert. Quando enim ad Chirurgiae scientiam in primis seculis respicimus, dein eam nostris diebus spectamus, discrepantia immensa, ut inter petram lapicidinae templumque Athenis perelegans, observanda est.

Chirurgiam rudissimo in statu, ejusdem cum genere humano aevi fuisse, certum est, ut HALLERUS dicit, “ Possis primae mulieris abmorsum funiculum umbilicalem ad chirurgicas administrationes referre.” Et quamvis nulli commentarii de progressu nationum orientem versus in hac arte literata restent, tamen chirurgiam fuisse certum ad modum inter eos, sine dubio est. LARREY, in volumine suo de Chirurgia Militari, plurium operum prominentium in epistyliis columnisque sculptorum, quae laquearia et moenia templorum, inter vestigia Thebis, in ruinas lapsorum, exornabant, descriptionem obtulit,

quae testimonio sunt, ut in ea parte chirurgiae, quae magis ad manum refert, Aegyptii aut praestiterunt, aut saltem scientiam chirurgiae administrandae ad certum modum habuerunt. Apud alias gentes, etiam maxime barbaras, aliqua chirurgia fuit : verum ea fere tota in ustione et in scarificatione constitit. Afri etiam pastores pueris quadrimis oesypo bregma inurebant, ne catarrhis essent obnoxii ; quam eandem ob causam, HIPPOCRATES octo cauteriis caput exurebat. Turcae linteolo intorto se urere solent ob defluxiones, capitis dolorem et artuum. Armeni ventrem in colica candente ferro exurunt. Bengalenses medicamentis exurentibus adversus epilepsiam utuntur. Judaei et Persae ferro candente pedem, in lentis febribus, exurunt. Sinenses et Japonenses moxam applicant ; ad podagricos dolores hoc praesidio potissimum utuntur. Arabes plurimis locis ignem admovere solebant ut in hydrope : RHAZES ad pertinaces dolores dentem ferro candente jubet perforare, et ad cariem cauterium.

Scarificationes et incisiones perinde omnibus barbaris familiares sunt. Philippinis insulis conchis sanguinem detrahunt. Brasilienses spinis



usi, et lapidibus, incisa e cute sanguinem educunt. Medicus sacerdos ex Lamarum ordine oculorum morbis operabatur, usus ad scarificandum cucurbitulis, et uncias sedecim emisit: et quod est notatu dignum, Siamenses utuntur cucurbitulis ex cornu bubulo factis. Arabes in Apoplexia cucurbitulas corpori adfigunt. Aegyptiaci inflammatum pectus in pleuritide scarificant; Africae meridionalis aborigines non solum scarificant sed etiam venam secant. Hae methodi sunt naturales vetustissimae; et communes sunt plerisque gentibus.

Utcunque, uti originem hujus scientiae proprius sequamur, observandum est, ut res gestae chirurgiam existere implicent: nam, quando hominum bellum gerentium ira cessaverit, cordis motus tumultuosi et iracundi benevolentiae sympathiaeque cederent. Aliquid, forsitan sine ratione, vulneratis non vulnerati applicarent, et effectus, an faustos vel infaustos, observarent; et inde eodem vel iterum uti, aut in simili casu rejicere, ducerentur. Rebus ita se habentibus, Chirurgia suam originem debet. Auxilia his similia a patre ad filium traderentur, et ad posteros seros defluerent, donec unius hominis

esset diversos ad morbosos status curandos, ipsa colligere et applicare. Sed, ut in collectione sic facta, multae res non solum inutiles, sed etiam noxiae introducerentur, ita, cum ratione nobis sit conjiciendum, ut quaedam paucae, in tam multis, efficaciam veram habentes, inveniri possent. Harum, utcunque, aut nullam historiam habemus, aut eae quas habeamus, non cognitae characteribus quibus sunt descriptae, nulli beneficii nobis sunt. Sermonis definiti in medicina, ut in omnibus aliis artibus et scientiis, necessitas est maxima. Et ut lingua definita medicinae applicetur, ad opus Doctoris BARCLAY, communi sensu (re rara!) ingenioque praeditum, referremus. His ita expositis, antequam res plures Chirurgiae Historiae referentes nominare procedemus, est nobis, ut fuit CICERONI, “e definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur.” Itaque, quae sit Chirurgia? Quaerendum.

Si Chirurgiae definitionem ex derivatione verbi ipsius ( $\chiειρ$  manus et  $εργον$  opus) capiamus, nobis necessarium erit, descriptionem a CELSO datam adoptare, qui tractans de divisione scientiae medendi in tres partes, appellat, “tertiam, quae



manu mederetur.” Huic definitioni assentiri non possumus. Nam temporibus nostris chirurgia est scientia, quae non solum corporis externa sed etiam interna amplectitur; nimirum, quae operationes generales machinae humanae comprehendit: accuratamque notitiam et sanarum et morbosarum conditionum corporis, et eos, qui eam et sibi et aliis cum beneficio exercerent, actiones medicamentorum scire, requirit. Adeoque, una ex parte, chirurgia in dexteritate prorsus manuali non consistit; sic, alterâ, imaginationis velocis vivaque, aut inventionis facilis, non est proles: et si aliquis eam discere conatur aliter, quam eundo e bibliotheca sua ad lectum aegri, et inde redeundo ad bibliothecam, quam maximè errabit. Denique, ut scriptor prudens observavit, “Les “ grands chirurgiens sont aussi rares que le génie, le savoir, et les talens.” Chirurgiae professor, inde, non est ille, qui membrum excidere potest, sed qui, excidendum sit necne, novit: non is qui ulcus unguenti applicatione sanare potest, sed qui, quomodo id unguentum sanet, et cur tale ulcus irretet, quin et qua de causa, diversis in casibus, rebus penitus diversis opus sit, dicere potest. Chirurgus revera est medi-

cus et utramque partem scientiae medendi exercet; sed de hoc ad Doctoris THOMSON opus referamus. Seculis vero quibusdam abhinc, cum chirurgia concilio Turonensi denunciata fuit, ut non idonea sacerdotibus et viris naturae studiosis, hujus scientiae professor, ut servus servius ad medicum evenit; et hodie quoque chirurgum automaton motum possidere, evolutionesque quasdam elegantes absolvere nimium est moris. Et sic, ejus provincia ad administrationes manuales perficiendas reducta, chirurgus studia necessario ad partes suae professionis minus splendidas dirigit, et ita methodum mutilandi non curandi homines discit, sed certè nomen chirurgi non meretur.

Chirurgi, administrationes chirurgicas perficiendi, a CELSO tradita sunt officia: “Esse autem  
“chirurgus debet adolescens, aut certe adole-  
“scientiae propior; manu strenua, stabili, nec  
“unquam intremiscente, eaque non minus si-  
“nistra, quam dextra promptus; acie oculorum  
“acri, claraque: animo intrepidus, misericors  
“sic, ut sanari velit eum, quem accepit, non  
“ut clamore ejus motus, vel magis, quam res  
“desiderat, properet, vel minus, quam necesse



“ est, secet : sed perinde faciat omnia, ac si  
 “ nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur.”<sup>a</sup>  
 Haec minime interrupta animi tranquillitas,  
 quae est non tam frequens ut solertia, dos  
 in chirurgia maximi pretii est ; solertia ex-  
 ercitatione acquiri possit : sed constantia dos  
 est naturae. HALLERO, cui natura in om-  
 nibus aliis rebus tam generosa fuit, hanc defuisse  
 observamus : constantia vel tranquillitas animi  
 idonea huic viro eximio non fuit ; id quod ipse  
 notavit.<sup>b</sup> Quae Chirurgi characteri sunt ap-  
 tissima, ante oculos obversis, ad Chirurgiae His-  
 toriam attentionem dabimus.

HOMERI poëmata antiquissimam historiam  
 scriptam Chirurgiae nobis praebent. PODALIRII  
 MACHAONISQUE nomina rapta fuerunt a naufragio  
 temporis, sustentaculo ingenii HOMERI servata ;

<sup>a</sup> CELSUS, lib. vii.

<sup>b</sup> Sequens est descriptio a BICHAT, quae ad characterem chirurgi  
 periti nobis firmatum propius appropinquat:—“ Deux choses sont  
 “ nécessaires pour faire un grand chirurgien, le génie et l’ex-  
 “ périence. L’un trace sa route, l’autre la rectifie ; tous deux,  
 “ pour le former, se prêtent un mutuel secours. Sans l’expérience,  
 “ le génie sert inutilement fécond ; sans le génie, l’expérience  
 “ ne lui offriroit qu’un stérile avantage.”—Discours Préliminaire,  
 Oeuvres Chirurgicales de P. J. DESSAULT, par BICHAT.

quae res opinionem MALEBRANCHII illustrat, nempe multos reges, magistratus, et alios notos esse hac sola ratione, quod a poëtis virisque ingeniosis memorati fuerint. HOMERUS in variis Iliadis locis refert ad Machaonem Podaliriumque; maxime in libro septimo. Sed hi bellantes chirurgique vulneribus tantummodo auxilium attulerunt, id quod a CELSO accepimus. Alii morbos oriri ira deorum, atque, hac sublatâ, tolli contenderunt. Precibus deos placare soliti sunt; aegrique vota sua in templis solverunt. AESCULAPIUS notatu dignus est solum ut apud antiquos Deus Medicinae: nam ejus et aliorum multorum historia magis fabulae, quam veritatis naturam habet: et sunt numerosi, quorum historia est penitus fabulosa, ideoque hi non sunt notandi. Putatum est, eum fuisse principem Thessaliae, doctrinam suam a CHIRONE recepisse, et Podalirium Machaonemque fuisse duos filios ejus. PYTHAGORAS dies criticas in morbis observavit, nervos et musculos abdominis secavit et descripsit. ALCMAEON omnium primus corpora animalium incidisse fertur. ASCLEPIADES doctrinam AESCULAPII receperunt. Postquam ASCLEPIADES medendi scientiae



praeesse cessaverant, HIPPOCRATES Cous, recte appellatus pater medicinae, ortus est : sed HALLERUS “quidem etiam majori jure chirurgiae parentem dixero.”\*

HIPPOCRATIS opera a se scripta sunt sequentia : “de officina medici :” “de fracturis :” “de capitis vulneribus :” inter ea quae ad HIPPOCRATEM attributa sunt, sed de quibus est dubitatio, plusculi chirurgici sunt argumenti “de ulceribus ;” “de fistulis ;” “de exsectione foetus.” Opera varia in medicina, quae nobis non sunt notanda, scripsit. Haec jam dicta exercitationem magni animi, in res nimis paucas a veneratione sepulchrorum et ipsorum mortuorum operantis, exhibent ; et nobis mirum videtur, quum paucas opportunitates ei praebitas chirurgicas observationes faciendi consideramus, tam multas regulas, ab eo factas, in chirurgiae exercitatione observasse. In hac opinione autem non sumus soli ; nam

\* In libro impresso “Mélanges de M. CHARDON de Larochette,” sequentem characterem HIPPOCRATIS habemus in volumine secundo, ad paginam 121. “Ce fut ce grand homme qui en fit une science méthodique, et qui rassembla, en un corps de doctrine, toutes les notions éparses avant lui. Son génie, un de plus beaux que la Grèce ait produits, y joignit ses propres observations, je dirois presque ses divinations ; car il a tellement médité son art, il en a si bien établi les principes, que le germe de tous les progrès que la médecine a fait depuis lui, se trouve dans ses écrits.”

HALLERUS dicit, “ ejus viri scripta chirurgica  
“ mihi videntur excellere ordine, perspicuitate,  
“ artis peritia, puritate ab omni hypothesi.”

De tempore quod est inter HIPPOCRATEM  
CELSUMQUE, est nobis dicendum. Nam etsi  
HEROPHILUS ERASISTRATUSQUE, et SERAPION, qui  
scholam Empiricorum confirmavit, et THEMISON  
auctor Methodicae, tum vixerint, tamen perpau-  
cas chirurgicas observationes, ab eis factas, ha-  
bemus. THEMISON hirudines applicavit ; atque  
SORANUS ejus discipulus de fasciis et fracturis  
scripsit.

Tempore inter HIPPOCRATEM et CELSUM, hi  
fuerunt principes ; et quamvis eorum ex operi-  
bus non multum acquirere possumus, tamen de  
iis in opere CELSI merito laudato non parvum  
obtinemus. Hujus operis libri proximi quatuor,  
praecipue septimus et octavus, ad rem chirurgi-  
cam pertinent.\*

\* M. DU HAMEL characteris et operum CELSI descriptionem obtulit  
in libro cui titulus, “ l’Histoire de l’Académie des Inscriptions et  
Belles-Lettres,” in volumine septimo ad paginam 100. “ Si on l’ex-  
amine en grammairien, quelle source de mots choisis n’y trouve-  
t-on point ? Quelle richesse dans les termes de l’art ! quelle pureté  
dans le style ! quelle élégance ! Le choix d’expressions, le tour  
noble et concis, l’éloquence ; tout marque un auteur fleuri. L’his-  
toire y trouve à profiter dans le detail des sectes, des opinions, des



CELSUS nihil sane novi protulit, at omnia ab aliis jam inventa sermone lucido exposuit; neque vero solummodo sententias alienas proposuisse judicandus est; medius enim inter Rationales atque *Εμπειρικους*, apium instar, quicquid utilis ab utrisque ediscatur accepit; quaecunque vero inepta aut falsa viderentur abjecit, et in praefationibus ad singulos libros, mentem viribus praeditam aspicimus. Pleraque equidem hodie accepta in CELSI libris invenienda. Et quamvis MORGAGNUS in epistola quarta dicit, “ consulendo magis artem exercuisse, quam invisis aegris,” tamen, HILDANO assentimur “ CELSUM de calculi sectione tam bene scribere non posse, nisi administrationem seipsam ipse perfecit.”

De GALENO, viro equidem notissimo, postea loquemur. Post GALENUM varii medici exstiterunt, sed perpauci sunt notatu digni quod ad chirurgiam attinet.

découvertes, et des noms des anciens médecins; l'antiquaire, dans ses observations sur le manger, le boire, le diète, et en général sur toute la gymnastique des Romains: le philologue, dans la valeur de leurs poids et de leurs mesures, qui y est mieux marquée que dans aucun autre auteur de ce temps-là.... Aussi les médecins des quinzième et seizième siècles qui se sont formés sur cet excellent modèle, ont donné à son auteur les surnoms de CICERON médecin, d'HIPPOCRATE, et de Dieu de la médecine.”



Utcunque ORIBASIVS est notandus, ille fuit confertor operum medicorum antiquorum, ut etiam AETIVS. PAVLVS AEGINETA, vir maximi ingenii, quem FRIENDIVS etiam CELSO praefert, Hydrocephalum externum incisione adgreditur. Aneurysma verum distinguit a spurio, (distinctio falsa quidem, ut a Scarpa putatur,) et etiam in capite curare adgreditur, arteriamque et superne ligat et inferne.

Româ incendio dirutâ a Gothis seculo sexto, viri scientiae periti dispersi, ad Alexandriam quidam fugerunt; et ibi medicinae scholam, bene notam sub nomine Alexandrinae, promoverunt. Diu haec schola floruit; perpauca tamen de ea innotuerunt.

In Italia ab hoc tempore ad seculum decimum omnes artes atque disciplinae ingenuae defecerunt. Gentes barbarae et incultae artium ignarae urbi immortalis praepositae tenebras Europae universae offudere. Sed in hoc intervallo, Arabes, qui Africam, Asiam, et partem Hispaniae magnam, devicerant, et qui bibliothecam Alexandriae incenderant, medicinam exercent. Byzantii solius, quod ad Europam attinet, artes atque disciplinae florere haud desierunt.

Inter Arabum medicos sequentes nominamus. RHAZES fuit medicus insignis : multas chirurgicas administrationes perfecit : opus AVICENNAE, nominatum " Canon Medicinae," in Anglicis scholis medicinae legebatur : et quum Angli, in bello, auspice cruce gesto, a Terra Sancta redierunt, idem in Europam retulerunt, quod cum capite nono RHAZIS operis (de vitiis uteri) apud omnes scholas medicas permagni habebatur. AVICENNA princeps medicorum existimatus est, et ad seculum sextum decimum, nomina HIPPOCRATIS GALENIQUE obsolevisse videntur. ALBUCASIS notatu dignus, multis de rebus : et secundum HALLERUM, ille fuit fons ex quo nuperi semibarbari hauserunt. Paracentesin, bronchotomen, aliasque perfecit ; et dicit, mulierum calculum per obstetricem se curasse. Apparatu parvo simili utitur ut veteres Graeci ; vulnus autem inflictum dilatat, ut calculi moles poposcerit.

Medendi scientia in occidente resurrexit seculo undecimo, quod est epocha scholae Salernitanae bene notae. Haec fuit praecipua totius Europae Asiaeque, et efflorescere ad quartum decimum seculum non cessavit, ubi fuit exclusa splendore surgenti scholarum Bononiae et Parisiorum. Chi-



rurgia gradatim crevit ; Byzantii adhuc aliquid scientiae artisque extitit. Sed Byzantium sedes virorum eruditorum tandem eversum est : Turcae enim hanc urbem, reliquam solam Romani imperii magnificentiaeque, expugnaverunt. Viri ingenio praediti, qui Byzantium incoluere, in Italiam libris Graecis advectis, perfugerunt ; et Italiam ex barbarie ad cultum revocare nixi sunt.

Historiâ Chirurgiae ad resurrectionem ejus in Italia propectâ, attentionem nunc dirigere oportet ad eam partem disputationis quae rei chirurgicae impedimenta refert. Res praecipua est veneratio mortuorum : quae cum per totum terrarum orbem valet, hanc venerationem in natura fundi, et non esse omnino, ut quidam putant, prolem superstitionis atque imbecillitatis, judicare oportet. Primis aevis, chirurgi, quum cadavera humana secare non liceret, ab incisione aliorum animalium, eam scientiam, non aliunde acquirendam, colligere coacti sunt : et quum in Aegypto mortua corpora incisa erant, ut balsamo conderentur, tam rapidus fuit processus, ut nihil temporis pollinctori praebitum esset, scientiam structurae viscerum diversorum acquirendi.



Est satis evidens, animalia his temporibus incisa, etsi multis in rebus similia corpori humano, tamen, in aliis tam diversa fuisse, ut in eo scientiae statu nihil praeter regulas generales praebere poterant. Hoc modo, corporum belluinarum fabrica, nimis culta, et nimis minutè applicata, in nostro aevo etiam, originem multis falsis theoriis, quibus medicina oneratur, dedit. Anatomiae comparativae theoriae inaccuratae de ciborum concoctione in homine attribui possint. Alius naturae scrutator, incidens ingluviem pulli, et observans provisionem aptam ad cibum praeparandum, huic animali propriam, delectatusque patefactione, cibos triturâ concoqui contendit. Alius inspiciens, cibos putredine in massam aequalem suique similem verti, eos in ventriculo putrescere credit. Alius, processum solutionis; alius, alium; simili modo cum aliis rationibus in hanc rem. Et nunc, quantumcunque ars medica nuper increverit, fateri cogimur, GULIELMUM HUNTERUM recte de hac re judicasse: cujus ipsissima verba citabo.—“Gentlemen, Physiologists will have it that the stomach is a mill; others, that it is a fermenting vat; others again, that it is a stew-pan; but in my view of

the matter, it is neither a mill, a fermenting vat, nor a stew-pan, but a stomach, Gentlemen, a stomach.”

Et utcunque Romani Graecique mortuos summè venerati sint, hi tamen sanguinis humani cupidi erant, ut ludi gladiatorii et Circi nimis probant. Mens inhorrescit, cum ad imaginatiōnem offertur, homines pugnantes cum leonibus, tigribus, aliisque belluis ferocibus : sed haec Romanis, qui alias gentes *barbaras* vocabant, voluptatem praebuerunt. Hi mores tamen scientiam chirurgiae promoverunt : nam homines vulnerati auxilio egebant, et in vulnerum curatione multum sapientiae acquiri potuisset. HALLERUS de GALENO dixit, “ CLAUDIUS GALENUS uti nullam partem artis medicae neglexit, ita neque chirurgiam. In ea se juvenis exercuit, cum Pergami ludi gladiatorii curam gereret.” CELSUS autem, in libro suo primo, ubi diversas opiniones Rationalium Empiricorumque notat, hujus rei, ut necessitatem incidendi homines etiamnum vivos removentis, meminit.

Alia res, quae progressum chirurgiae impedit, proclivitas fuit ad theoriam, quae omni aevo mentem humanam distinxit. Nam et ab ERA-



SISTRATO HEROPHILOQUE, qui occasiones recognoscendi possesserunt, PTOLEMAEI patrociniis, et ab eo auctoritatem habentibus, vivos mortuosque incidere, observationes quasdam expectare licet; tamen, eorum observationes sunt tam flexae, et conclusiones practicae ex his tam conformatae ad theoriam, ut paululum omnino beneficii eorum ex laboribus evenit. GALLENUS vesania theorias formandi citò afficiebatur: et viro mentis tam capacis ratiocinationis campi prospectum adeo jucundum afferrent, ut eum, quasi alium OBIDAH, filium ABENSINAE,\* ab aspera et rudi via experientiae, in vias jucundiores ratiocinationis abducerent. Ibi vivax ejus imaginatio delectationem obtineret. Huic, in ejus operibus, quum sint multae observationes in usu commodae, hae etiam cum theoria ita mixtae sunt, ut, massam processui qui eam puram reddat subicere, difficile sit. Observationes ejus utcunque in opera HIPPOCRATIS de officina medici, “aut chirurgi potius” secundum HALLERUM, probant eum bene versatum in multis minorum administrationum chirurgiae, et ratione fascias applicandi, caeterisque ejusmodi.

\* Vide Rambler, num. 65.



Aliud, sed dierum quidem impedimentum posteriorum, oritur ex hoc, provinciam chirurgi non proprie notam esse. Nostras opiniones de officiis chirurgi, et sapientia ei necessaria, quo ritè officiis fungatur, nominavimus. Sed hoc visum erit plenius, quum de tonsoriis chirurgis loquemur. Et in hoc seculo, cum chirurgorum turma ferro medentium magna, juvenes eum peritum chirurgum esse, qui scalpello cum dexteritate utatur, duxerunt. Hoc primo chirurgiae progressum impedit; sed error rapidè jam evanescere coepit, et nunc chirurgia, ut scientia, non solum manu medendi, sed etiam cogitandi existimatur.

Ultima res progressum chirurgiae impediens, est superstitio, cum qua artis medendi exercitatio conjuncta fuit. Deorum interpositio ab HOMERO notatur in Iliade, in qua suos heroas vulneratos, ut subito sanatos, afflatu Apollinis aut tactu Veneris miti, exhibet. Opinionem interpositionis ejusmodi, in poëmate Graecia Romaque tam magnopere laudato extantem, et aliâ auctoritate firmatâ, non est mirandum, ad posteros descendisse, et effectum infaustum in exercitatione scientiae medendi generaliter, et chirurgiae praesertim, habuisse. ASCLEPIADES hunc errorem

methodis suis imperitiâ plenis promoverunt ; ut in horum operibus sacris, ARISTIDIS scriptis, et poëmatis ARISTOPHANIS exempla multa habemus. (Vide prooemium historicum operis perdocti, Pharmacologiae doctoris PARIS.)

Superstitionis connexus cum scientia medendi ad postera secula se continuavit. Omnes curationes, quae tempore quo Ecclesia Romana vim, non in vitam solum, sed etiam conscientias hominum, tenebat, effectae fuerunt interpositione miraculosa, exercitata ad preces sacerdotum ; et hoc impedire incrementum chirurgiae plurimum poterat. Nam his temporibus sacerdos, prece ista “ Ave Maria ” saepius enunciata, in fugam mitteret chirurgum, etsi administrationes chirurgicas peritissime perficientem. Tum vero mos erat, si alicui contigerit aliquod insigne invenire, aut quid mirifici, non cum interpositione miraculosa coelitus junctum, efficere, notitiam ejus se obtinuisse ab inferis, existimare : et ad poenam comburendi aut cruciatus supplicium postulare.

Sed haec angustia animi ubique fere terrarum abiit, licet non penitus : nam in Britannia, seculis superioribus, superstitione uti callidos homines



vidimus. Is processus humani corporis, “ primae intentionis coalitus ” dictus, in publicum cum methodo superstitiosa junctus primum venit. Nam KENELMUS DIGBY, Eques, vulnera cum pulvere sympathetico curavit ; et sanationem ad effectum superstitiosum referre solebat. Una res in methodo curationis erat, “ partes per dies septem intactas manere : ” et hanc, non pulverem sympatheticum, esse causam, cur vulnus sanatum est, posteriori chirurgi invenerunt ; qui hunc processum naturalem “ primam intentionem ” nominaverunt.

His rebus impediētibz consideratis, incrementum scientiae chirurgiae per secula recentiora melius introduci nequit, quam a narratu separationis chirurgiae a medicina, priorisque conjunctionis ; et in has res persequendo, is nobis character, tam conspicuus in homine, nempe amor diversis sese in modis occupandi, exhibetur.

Per omnia secula ante HIPPOCRATEM medicina cum chirurgia conjuncta mansit, ut idem homo et morbos internos curare et officinam habere chirurgicam, et morborum historiam meditari, et vulneribus curatricem manum adhibere, soleret. Quinetiam HALLERUS dicit, HIPPOCRATICO aevo



medicos chirurgiam exercuisse. A CELSO apparet, medicinam temporibus ERASISTRATI et HEROPHILI in rem dieteticam, pharmaceuticam et chirurgicam diductam esse: sed laudat idem eum virum, qui quam maximam partem artis medendi teneat. Aliquanto verò antiquiora sunt vestigia hujus separationis. ARISTOTELES, et ante eum PLATO, varios medicorum ordines descripsit. Hae divisiones manebant; nam secundum CICERONEM, in Natura Deorum, ad librum tertium, erant alii, qui morbis; alii, qui vulneribus; alii, qui oculis mederentur. Et MARTIALIS divisionem descripsit in sequente disticho,

Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus,  
Coepit quo poterat clinicus esse modo.

A tempore quo Romanum imperium eversum fuit ad literarum renovationem, Arabes, qui notitiam scientiae medendi tenebant, chirurgiam unà cum medicina exercere solebant. Alii dicunt, Arabes exercuisse partes scientiae distinctas, et HALLERUS “ eadem consuetudo ad Arabes descendit, ut AVENZOAR dedecori duceret “ vero medico, si manu curaret.” In Europa, scientiae medendi exercitatio in manus sacerdotum venit; qui ea utebantur ad eorum potestatem

promovendam, et qui medicinam, chirurgiam, pharmaciam agebant. Sacerdotes, quibus fuit voluntas scientiam medendi magis diligenter exsequi, convenerunt in societate et evenerunt magis capaces animi, minus austeri, et magis proclives ei motui cordis qui in natura hominis existit, et qui eum societatem quaerere impellit; principium ita pollens, ut homo vocatus sit animal gregarium. Hujus societatis effectus faustus fuit is, qui in hac simplici elegantique sermone expressus est; “ut ferrum ferrum acuit, ita vir acuit faciem amici sui.”\*

Haec Pontifici Maximo ALEXANDRO Tertio non placuerunt, qui rem cum maxima urbanitate ad diabolum retulit, et dixit, sub praetextu faciendi opus benignum corporibus hominum, sacerdotes ab animarum cura iis adduci: et inde, anno MCLXIII. lex ab eo sanata fuit, quae neminem, posteaquam vota assumpserat, scientiam medendi exercere praecepit. Pontifex Maximus HONORIUS Tertius, anno MCCXV. imperavit, ne quis ecclesiae ex servis sanguinem mitteret, mitti videret, aut emitti praescriberet. Sacerdo-

\* Vide SALOMONIS Proverbia, cap. xxvii. v. 17.



tes etiamnum eorum emolumentis sese abscindere non solebant; et ut haec adhuc tenerent, servos, qui apud se officio tonsorum fungebantur, mittebant ad sanguinis missionem, et alias administrationes chirurgicas perficiendas. Hinc ii, qui antiquitus “chirurgi tonsorii” appellabantur, originem ducere videntur. Capitis tonsuram et aquae frigidae applicationem consociatio chirurgorum tonsorum inter praecipua medicamenta collocabat; et potentiam acquisivit, ut, progressu temporis, distinctam classem constitueret. Sacerdotes, siquidem scientiae medendi eam partem, quae ad manum refert, abdicare coacti, exercitationem vilem citò putare coeperunt: sive ab eadem causa, quae vulpem uvas crudas vocare fecit, aut quod chirurgiam exerceri a servis suis dedignarentur, non est mihi dicendum.

Disjunctio chirurgiae a medicina pedetentim procedebat, et ineunte decimo quarto seculo decretum a Pontifice Maximo BONIFACIO promulgatum fuit, et non multo post, aliud a Pontifice Maximo CLEMENTE Quinto, Avenione; alteruter chirurgiam a medicina separari imperavit. Et ab observationibus domini CHEVALIER discimus,

sacerdotes interdictos fuisse chirurgiam agere sub poena excommunicationis : et ideo Parisienses eum ut academicum in facultate Medicinae admittere negabant, qui chirurgiam non abjurerat. Hoc est fundamentum disjunctionis chirurgiae a medicina et inter chirurgum et medicum. Ecclesia Romana simulavit, causam decretorum esse in axioma “ ecclesia abhorret a sanguine,”—axioma, ut THOMSON observat, “ often expressed in its decrees, it is true, but never, I believe, acted upon but in this instance, by the Church of Rome.” Haec ita firmata, quamvis primum perniciofa, postea utilis fuit ; nam huic forsitan progressus utriusque, nempe Chirurgiae Medicinaeque, debetur.

In Italia, utcunque, antequam haec divisio firmata est, ii ecclesiae et ii aliarum scientiarum et artium studiosi, privilegiis aequalibus admittebantur. Eorum quidam non ad ecclesiam dedicati, celebres medici fuerunt, transieruntque in Galliam, ubi scientiam medendi maxima cum celebritate exercuerunt. Chirurghi autem Gallici ex Italia primas doctrinas chirurgiae acceperunt. Italiae medici multum notitiae ab Arabibus receperunt ; cum his FRANCISCUS SECUNDUS



Neapolis, vir, qui ingenio et caractere temporibus illis multum praevaluit, consuetudinem continuam promovit, et ab iis quicquid in medicina aut in artibus fuit, obtinuit. FRANCISCUS, anno MCCXXXIII. edictum promulgavit, quo neminem admittere posse magistrum aut doctorem in medicina vel in chirurgia decrevit, priusquam harum artium rudimenta cautè diligenterque persecutus erat. Hoc edictum tam laudabile videtur esse causa nominum "Chirurgico-Medici aut Doctoris utriusque Medicinae," quae in Continente Europae multum usurpabantur. Hi, quòd scientiam medendi in Gallia cum eventu fausto exercebant, et quòd eorum opiniones in existimatione fuerunt, a LUDOVICO NONO, vulgo vocato sancto LUDOVICO, in collegium aut "confraternium" constituti erant, anno MCCLXVIII. Clerici Gallici contra "Magistros Chirurgoſ" obviam ibant; et eos laccessendi, eorumque jura in dubium vocandi, omnem occasionem cum gaudio ceperunt: invidiamque tonsorum Chirurgoſ, quòd institutio rapide surgens eorum opibus et privilegiis damnum minatus est, excitaverunt. Certamina nunc inter duas classes Chirurgoſ orta sunt; et haec non cessabant, donec magis-

tri Chirurghi, Chirurgique tonsores, in unum collegium collati sunt: quod evenit anno MDCLX. In Anglia etiam Chirurghi Tonsoresque in unum corpus formati fuerunt, eorumque consociatio, per duo insequentia secula, duravit. Tonsores, veterinarii, et qui animalia castrabant, chirurgiam exercuerunt. Sed nunc, chirurgia exercetur a viris ingenio eruditioneque praeditis, et Chirurghi Parisienses, Anglici et Scotici, in collegiis constituuntur, et hodie in existimatione increscunt.

Quando historiam mundi aspicimus, quietem longam imperturbatamque esse praecursorem violentae commutationis invenimus. Hoc in rerum natura quoque est; nam priusquam diripiens procella destructione ferenda campum pervadit, aut terrae motus horridus orbem quatit, serenitas, quae terram obducit, adeo jucunda est, ut nisi gravis experientia contrarium docuerat, spectatori esset in animo, Harmoniam ipsam alas suas supra universum extendere. Est idem etiam in mundo literarum. Inertia saepe tenebrosa mentes hominum obducit, quum subito virum maximi ingenii, lucentem splendore cum majore, propter



tenebras priores, agitationemque magis insignem excitantem, ob tranquillitatem quae antea extitit, elucet.

Hunc rerum statum in Historia Chirurgiae exhibendum videre possumus. Nam seculo decimo tertio chirurgia nihil progressa est: imitatio servilis fuit character aevi. Sed subito, seculo sequente, constellatio virorum illustrium, lucem undique circa eos jactantium, surrexit: et quamvis multi, quibus priores tenebrae fuerunt maximè gratae, eorum surgentem splendorem obscurare conati sunt, hi tamen viri eluxerunt, et adhuc elucent. Ex his, de ANTONIO BENEVINO est dicendum. Ille, praesentiens quanti momenti necessitatisque esset rejicere systemata medicorum Arabicorum, et quantum commodi a naturae observatione in chirurgia promovenda oriretur, viam adhuc intentatam prosecui incepit, nempe, observationis—opus de abditis rerum causis scripsit. Multas curationes perfecit, et res nobis notanda est descriptio, “Gangraenae ex causa interna a pede orientis;” quae videtur esse similis morbo vulgo vocato “Pott’s Mortification.”

PARAEUS nunc exortus est. Morem pristinum

veterum instituta imitandi abjiciens, et multum adjutus sapientia anatomica VESALII, chirurgiam maximè promovit. AMBROSIUS PARAEUS est Galliae quasi HARVEIUS: mirae animi ejus dotes multos inimicos creaverunt; critici non solum, sed etiam sacerdotes suam potestatem exercuerunt contra PARAEUM; et nihil nisi auctoritas CAROLI NONI sanguinolentae destructioni noctis Sancti Bartholomaei eum eripuit. RICHERANDUS PARAEUM laude onerat, et ad ejus opus lectorem remitto.

Scholae Italicae FALLOPIUS, vir magnus, opus de vulneribus, in quo multa sunt notatu dignissima, scripsit. Paracentesin os ilium versus instituere jubet: et os cariosum radi potius quam scalpro excindi mavult. BENEDICTUS SYLVATICUS de aneurysmate scripsit; et aneurysma, quod ab arteria dilatata oriatur, existere negavit. In hac opinione SCARPAM anticipavit; et, quod memoratu dignum est, in curatione aneurysmatis, “arteriam utrinque ligat, incidit, et cruoris grumos eximit.” GALENUS etiam, PAULUS, omnesque antiqui de una aneurismatis specie loquuntur, quam oriri ab arteria rupta dicunt.

FABRICIUS ab Aquapendente, FALLOPII discipu-



lus, de tumoribus, etiam de herniis scripsit; invenisse terebram, cum quatuor ad coronam alis, dicitur. Omnes suturas, praeter siccam, modum hodie maximè laudatum, rejecit. Qua quidem ratione ars vi morbosae fere occurrat, FABRICIUS intellexisse videtur; nam rebus, quas nominavimus “contra-irritantia,” utebatur, et phthisin per setacea curavit. Multos Gallicos chirurgos praeterire oportet.

WISEMANNUS, vir ab HALLERO multum laudatus, de variis rebus chirurgicis, ita de ulceribus, vulneribus, fistulis, &c. scripsit.

GIDEON HARVEIUS, secundum HALLERUM, libellum, “the art of curing the most dangerous wounds by the first intention,” (Lond. 1685) obtulit: et ad vulnera styptica medicamenta laudat.

Ad hoc tempus GULIELMUS HARVEIUS, qui circuitum sanguinis patefecit, floruit. Haec inventio nomen HARVEI carum semper peritis scientiae medendi reddet: epocha quidem est in scientia nunquam non memoranda; nam theorias antiquorum evertit, et novum campum, in quo indagations persequi possent, aperuit. Scripsit “de generatione animalium.” Et quidem nullam artis partem non ornatam reliquit.

Aspectus autem quam jucundus amico libertatis est, ubi Batavi fortes, post arduam dimicationem, libertatem sibi vindicaverunt. Scientia medendi in Batavia, antea quasi embryo, protinus florere coepit, sub vi salutari libertatis. Delectat utique enumerare ut exempla nexûs existentis inter libertatem scientiamque, diligentem RUYSCHIUM, mechanicum ROONHUYSEN, solertem RAW, et duos ejus illustres discipulos HEISTERUM et ALBINUM; quibus viris praeclaris addendus est CAMPERUS, amicus physiologiae, qui splendore et utilitate suarum inventionum omnibus ejus antecessoribus praestitit; et multum scientiae chirurgiae praebuit.

COWPERUS, MORGAGNUS, BOERHAAVIUS et HOFFMANUS inter multos notatu dignos sunt primi. COWPERI corporis humani Anatomia bene cognoscitur, et morbida anatomia MORGAGNI Chirurgiae scientiam multum provexit. BOERHAAVIUS, in suis aphorismis de dignoscendis et curandis morbis, lectori multas res ad chirurgiam pertinentes praebet.

DOUGLAS fuit primus qui historiam ejus sectionis pro calculo, quae dicitur lateralis, dedit.



Inter eos qui scientiam chirurgiae promoverunt, F. PETITUS primum locum habet. HALLERUS, loquens de eo, dicit “ PETITUM primo loco posui “ inter eos, qui minutis et exquisitis mensuris, “ et subtilibus consiliis, bonam artem perficere “ sunt adgressi.” PETITI inventiones ipsum cum ingeniosissimis ordinant; sed de his nunc multa dicere non possumus. MORELLUS chirurgus Gallicus instrumentum ad compressionem vasorum magnorum invenit. J. L. PETITUS autem hoc ad statum in quo nunc habemus mutavit.

GULIELMUS CHESELDEN est memoratu dignus: simplicitas et ingenium in suis descriptionibus elucet. Sectio ejus lithotomica, supra os pubis, et splendidum opus in anatomia, nobis sunt notanda.

GARENGEOT, vir obscuritate ortus, ad summos medicinae honores attinuit: WINSLOWIUS, LE DRAN, QUESNAI, SABATIER, MORAND, MARESCHAL, WARNER, ALANSON, LA MOTTE, multique alii nobis sunt necessario transeundi. Multi clari viri in EDINBURGO eluxerunt. MONROI, CULLENUS inter hos nominandi sunt. Priorum inventiones sunt multae, ut etiam suae disputationes. Est mihi dolori viros maximi ingenii transire;

sed, ut omnes enumerem, non fieri potest. Quosdam vero nominabimus; nempe WHITE, S. SHARPE, POTT, quorum opera omnes scientiam medendi agentes legere debent.

Duo viri, prae caeteris praeclari, sunt GUILIELMUS et JOANNES HUNTER. Tam multae sunt eorum observationes, disputationes, inventiones, ut injuria esset in tentamine limitibus presso de his dicere; ideoque ad eorum opera potius referemus.

Ad progressum chirurgiae cum animum intendimus, incrementum per gradus occurrens ad seculum postremum videmus; sed hoc tempore, et postea, scientia omnis generis et artes rapidum cursum habuerunt. Causa hujus philosophi attentionem occupat, et indagatio summi momenti est. Delectationi maximae est nobis dicere nos libertati ministrisque suis omnia haec debere. Notare juvat, ut, hanc rem persequendo, animi nobis cum admiratione impleti sunt, ubi in scriptis variis varias administrationes chirurgicas, observationes, disputationesque viris seculorum antiquorum factas, legimus. Investigatio vero a nobis habita, in hanc historiam chirurgiae persequendo, scientiam mul-



tam antiquis esse exposuit, et numerosas inventiones, quae hodiernae existimantur esse, vetustis seculis vindicavit. Tempus autem, *ea machina* vis pene omnipotentis, recentia quotidie exempla exponit, in quibus eadem instrumenta, quae nuper inventa fuerunt in ruinis domi A. C. 79 eruptione Vesuvii obrutae, notanda : omnia illa quidem elegantia formae sunt insignia, et Romanos cultros faciendi peritos fuisse probant. (Vide Bulletin de Soc. Med. d'Emul. Nov. 1821, p. 452.)

Libertas et progressus humanae mentis inter se nectuntur : hoc ab omnibus observari potest. Sed antequam huic historiae finem imponamus, est nobis in animo eum nominare qui chirurgiam, omnesque scientias et artes, promovere multum contribuit.

Chirurgia scientia maximi momenti nunc existimatur, et bella, quae Europam vastârunt, ad exercitationem scientiae chirurgiae utilia multa contulerunt. Capax ille et impotens animus, qui exercitus ad victoriam duxit, et institutiones, quae sanctionem seculorum receperant, et quae omne incrementum excluserant, januis eorum

superstitione ac superbia clausis, evertit ; artes scientiasque promovit, et manum parentis omni ingenii exercitationi dedit. NAPOLEON attentionem suam non solum ad vastas et splendidas administrationes gentium, sed etiam ad scientiae incrementum, direxit. Viris caeteris praestantibus, nulla eorum opinionum peculiarium habita ratione, benefecit ; itaque scientias artesque promovit : et circa se ipsum, quicquid utile, splendidum aut virile extaret usquam, coëgit.

Sed multa inventa annorum recentiorum investigare, viros illustres non paucos designare, eorumque inventa, inutilia ab utilibus, separare ; cuique viro laudem meritam dare ; res est tam vasta, tam diversa, et difficilis, ut alicui qui hanc bene tractaverit, mente longa experientia imbutâ, et viribus judicandi facultatis cum maximo discrimine opus est. Hoc a SPRENGELO et PORTAL tentatum fuit ; et RICHERANDUS de administrationibus chirurgicis librum nuper edidit.

Nunc hujus Almae Academiae professores, historiam istam perbrevem, imperfectamque, vestrae benignitati subjicio, certus etiam errores meos cogitationesque haud sine indulgentia receptum



iri ; eorum enim est qui doctrina eruditioneque multum imbuti sunt, tyronis adhuc in arte sua errores clementer notare.

Et dum MEAE ALMAE MATRI, ubi ad fontem scientiae diu hausi, valédico, precor, ominorque, ut nomen ejus excelsum in historia chirurgiae, pristinaque gloria, in sempiternum sint mansura.

FINIS.